

Et cum ipse nusquam sibi metipsi sit dissimilis , dissimiliter tangit dissimilia. Quod ubique præsens est , & inveniri vix potest. Quod stantem sequimur , & apprehendere non valemus. Ponamus ergo ante oculos mentis, quæ illa natura sit , quæ tenet hæc omnia , implet omnia, circumpleteatur omnia , superexcellit omnia , sustinet omnia. Nec alia ex parte sustinet , atque ex alia superexcedit. Neque alia ex parte implet atque alia circumpleteatur : sed circumpleteendo implet, implendo circumpleteatur. Sustinendo superexcedit , superexcedendo sustinet.

6 Jam audivimus ab isto Doctorum summo , quod insensibilibus elementis , & brutis animalibus præsideat Deus , tangat & impleat eos. Cur ergo criminor illa dixisse , quæ nullus umquam dixit , cum illa dico , quæ iste me docuit? Aut cur otiosum est eum intra vermiculos dicere , quem hic perhibet insensatis & sensatis rebus præsidere , & replete? Nam & Ursus ipse designat , inspirante Deo , gregem pavisse , & Leones Beato Paulo sepulchrum legimus , Sancto perhibente Hieronymo , effodisse : & virtutam auream in nativitate Elisei vocem dedisse : & Asinam stulti Prophetæ vecordiam corripiuisse. Sed & Leonem interemptum ob inobedientiam Vatem , & integrum servasse ; & ejus subjugale contra naturam in nullo læsisse. Et ut paulò altius gesta contingam , illud necesse est mente pensare , quod tempore diluvij legitur gestum fuisse ; ubi ille , qui movet omnia , temporibus , ut ait Beatus Augustinus , opportunis , invicto brachio omnem , quod super terram movetur , & vivit , aut in aëre cito volatu discurrit , sub unius arcæ tecto collecta conclusit. Ubi nec sævus Leo juvencam , nec torvus Lupus capellam , nec lycisca timidam damam , nec agilis Tigris agnam , nec rapax accipiter parvam aut terruit , aut læsit ortygometram : sed pacatae divina in illis cooperante virtute quievere insignes belluæ à genuina feritate : & lepusculi , ac chirogrylli <sup>(1)</sup> ab assueto pavore. Quis enim

3. Reg. 13

24.

(1) MS. *chiroerilli* : chirogrylli scriendum , i. e. *Cuniculi*. Vide Durfæne in *Glossar.* med. & inf. latin.

hoc gerebat in illis, nisi is qui omnia bona fecit, & cuncta, quæ fecit, præsidet, & substinet, circumdat, & implet? Sanè si ad illa mentis obtutum retorqueamus, quæ quotidie coram posita cernimus, & in ipsis auctoris opera admirantes, præsentiam ejus intelligere facillimè poterimus. Si enim omnia ipse creat; ibi præsens est, ubi creat, qui per se utique creat. Si verò ibi est, ubi creat, à nullis rebus deest, cum omne quod movetur, & est, ex aliquo sit. Habent ergo Sues, Canes, & Vulpes sui in se Creatoris operantem præsentiam, quæ non unum tantum gignunt; sed interdum animatorum filiorum turbam. Denique si horret eum intra Dæmonem inspectorem nequitiarum ejus fateri, & in inferni ima censoria potestate unicuique pro contractis respondere, ut horrerat; consequens est, illos æstus atrocis incendij intra eum arctari, & multitudines Dæmonum ab ejus immensitate ambiri. Sed quia ista non catholico congruunt dogmati, quod Deum intra omnia, & extra omnia non hæsitat prædicare, sed antropomorfitano errori, qui prohibet eum extra se omnia posita in alto situm speculare; idcirco nostrum est dicere, propter naturæ eum propriæ puritatem non posse sordibus pollui, aquis humectari, ignibus uri, aut quolibet putore foedari, non propter remotum ab his omnibus locum puritatem jugem obtainere. Qui enim intra se omnia continet, & Paradisi secreta, & Inferni profunda, & terræ lata spatia, & sali alta undivaga, sicut sine molis magnitudine cingit; ita sine extenuatione in cuiuslibet creaturæ parte totus præsens consistit. Quod autem opera Domini universa bona sint valde, idcirco ex Doctorum Libris superfluum duxi adstrueré, quod constet eos, unimoda voce omnes clamare, opera Domini universa bona valde. E quibus Beatus Isidorus sic afferit: Quia, qui unum saltem vermiculum per naturam dixerit malum esse, universæ conditæ videtur creaturæ injuriam irrogare: quemadmodum, qui unum supercilium homini rasisset, toto videretur corpori foeditatem incusisse. Sanè unam quæstionem ex Libro Antichimen. almi Juliani huic operi innodare, per quam

quam non solum bona , sed & quæ dicuntur mala , bona possit lector advertere.

7 Interrogatio. Cum Deus Auctor , vel Creator malii non sit , dicente Scriptura in Genesi de his , quæ à Deo creata fuerant , *omnia valde bona* ; quomodo ipse Dominus per Esaiam loquitur , quasi è contrario dicens : *Ego Isai. 45. Dominus , O non est alter formans lucem , O creans tenebras : faciens pacem , O creans mala?* Responsio. Si à bono Creatore bona cuncta creata sunt , quomodo creare mala Dominus protestatur? Sed hæc duo si diligentius attendantur , contraria sibi non erunt. Dominus enim Creator creaturarum bona creavit omnia , quæ utique mala dici non poterunt per naturam. Ecce ergo bonus Deus , secundum quod in Genesi legitur , bona cuncta creavit. Mala autem quare creare dixit , non similiter per naturam se creare perhibuit. Nec enim mala , quæ nulla sua natura subsistunt , à Deo creatur : sed creare se Dominus mala indicat , cum res benè conditas nobis male agentibus in flagellum format : ut ea ipsa , & per dolorem , quo feriuntur delinquentibus mala sint , & per naturam , qua existunt , bona. Unde & venenum mors quidem est homini : sed tamen vita serpenti. Benè itaque dicitur *formans lucem , O creans tenebras.* Quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creatur , intus per eruditionem lux mentis accenditur. *Faciens pacem , O creans mala.* Quia tunc nobis pax cum Deo redditur , cum ea quæ benè sunt condita , sed non benè concupita , in ea quæ nobis sunt mala , flagella revertuntur. Per culpam quippe Deo discordes existimus. Dignum ergo est , ut ad pacem illius per flagella redeamus : ut cum unaquæque tamen res benè condita nobis in dolorem vertitur , correcta mens ad auctoris pacem humiliter reformatur.

## C A P. XXII.

## QUID SIT OMNIA.

**T**AM verò quia , Deo imbuente , omnia quæ à Deo  
creata sunt , per naturalem essentiam docui bona  
esse , & idcirco Creatoris præsentia non carere ; conside-  
randum est , quæ inlustrissimi Patres censuerunt *omnia*  
appellari , vel quibus dixerunt rebus hoc vocabulum posse  
congruere : ut cum manifestè claruerit , hoc universitatis  
nomen esse , saltim aut sopita , aut testimoniiis obruta ad-  
versantium perfidia cessabit Deum ab his , quæ creavit ,  
falsiloco ore foedare , & eos qui orthodoxè credunt ma-  
livola mente persequi . Sanè & ipsi dicunt , „ inlocaliter  
„ omnia amplectitur & ambit . Habitationem autem il-  
„ lius ubique sine loco confitemur , & credimus . „ Sed  
quia illorum Doctor stolidus , aut quæ sunt omnia nes-  
cit , aut humanam tantum naturam omnia appellare  
contendit : ut est illud : *Euntes in universum mundum pre-  
dicate Evangelium omni creaturæ* . Ubi utique Evangelium  
regni solis jussum est hominibus prædicari ; Patrum de-  
beo super hanc quæstionem sententias querere : & ab ip-  
sis nihilominus , quæ sint omnia , quæ omnipotens re-  
pleat , atque contineat , sciscitare .

**T** E quibus prima fronte Sanctissimus Augustinus est  
testis citandus , qui coram omnibus Catholicis sufficere  
poterat solus . Ait nempe in libro quæstionum <sup>1</sup> . „ Cum  
omnia Deus fecerit , quare non æqualia fecit ? Quia non  
essent omnia , si essent æqualia . Non enim essent multa  
rerum genera , quibus conficitur universitas , primas &  
secundas , & deinceps usque ad ultimas ordinatas habens  
creaturas . Et hoc est quod dicitur omnia . „ Semper tua  
in catholico cœtu Sanctissime Pater resonet lingua ; quæ  
non unam creaturam , sed à prima quæ est Angelica , &  
humana , per medias quæ sunt sensibiles , & insensibiles ,  
tamen vitam habentes , usque ad ultimas transiens creatu-  
ras ,

(1) Octoginta trium , quæstione XLI.

ras, quæ sunt vita carentes, appellare censuisti omnia. Constat ergo muscas, pulices, cimices, & vermiculos, herbas, arbores, terram, Cælum, & cuncta elementa numerari posse in omnia. Sed adhuc aliud adsumam testimonium tuo super hanc quæstionem ore prolatum. In libello sane de Trinitate, quem ex duodecim capitulis confecisti, capitulo tertio sic visus es dicere. Ab hac enim summa & incommutabili Trinitate creata sunt omnia. Et ut ostenderes, quæ erant omnia, quæ à Sancta Trinitate, confitebaris creata, adjecisti: Sive visibilia, sive invisibilia: Sive corpus visibile animatum, & inanimatum, vivens & inane: sive corpus invisible, quod ipsum inanimatum est: Sive spiritum incorporeum rationalem, & intellectualem: Sive Spiritum irrationalem. In his quinque generibus arbitror contineri omnem creaturam: primò visibilia, & invisibilia nominans juxta symbolum, parvis verbis omnes creature comprehendisti. Sed adnectens; sive corpus visibile, animatum, & inanimatum, vivens & inane; tam homines quam pecudes, tam aves quam reptilia, quæ repunt in terris, & aquis, tam immanes belluas, quam vermes, muscas, & culices, quæ utique spiritus habent, corpora sua vivificant; tam herbas, quam arbores quas perhibes ipse viventes; tam Cælum & terram, quam mare, astra, vel lapides, quos ipse appellas inanes: sive corpus invisible, quod ipsum inanimatum est, quod ego aërem autumo esse: sive spiritum incorporeum, rationalem & intellectualem, quem Angelos & Dæmones, atque homines in interiori parte: Sive spiritum irrationalem quo moventur omnes, qui sine discretione vivunt, tam in aëre quam in terris, & aquis, à Sancta & individua Trinitate creata, & inter omnia deputas numeranda. Verum utrum his omnibus præsens sit Deus, tuo velim testimonio discere. Dicis enim: Non solum universitati creature, verum etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. Ergo non solum culici, cimici, vel vermi non deest; sed quia partibiles, ut corpora sunt, cuilibet parti eorum totus pariter adest.

Quia cum sit incorporeus & inlocalis nulli corpori , vel spiritui invenitur absens.

3 Veniam etiam ad Beatum Hilarium , & audiam , quid omnia Spiritus Sanctus definiat esse per illum . Ait enim : Intelligentiam commovere , & totum mente completere . Nihil carens , totum hoc habet . Reliquum autem hoc , semper in toto est . Ergo neque totum , ei cui reliquum est ; neque reliquum , cui est omne , quod totum est . Reliquum enim portio est : omne vero , quod totum est . Deus autem , & ubique est , & ubique totus est . Sed & iste mirifice disputans id appellat omne quod constat nil carere . Quidquid enim quipiam caret , omnia dici subtiliter satis non potest . Ergo si illa sunt omnia , quae carent nulla , & Deus totus est inter omnia ; nulla restat creatura extra Deum , vel sine Deo locata , quae dicatur a divina essentia remanere aliena .

4 Beatus vero Fulgentius Rusensis Episcopus nullum mihi loquendi locum reliquit : sed totum quod cogitare poteram jam ipse praemisit . Quem si quis plenissime vult audire , in libellis ad Petrum & ad Scarilam destinatis debet perquirere , & intenta mente cognoscere . Ego vero brevitatis gratia pauca admodum hauriens ex ejus clarissimo fonte huic Capitulo curabo inserere . Ait quippe : Joannes Evangelista , Dominici pectoris recuba , clamat dicens : Omnia per ipsum facta sunt , & sine ipso factum est nihil . Quisquis ergo museas , pulices , vel scorpiones , vel si qua alia sunt , quibus humanus sensus offenditur , a Deo facta negare contendit , ut dicat ea , omnino non facta , aut si facta dieit , non tamen a Patre per Filium ; quid restat , nisi ut Evangelistam Joannem dicat in sua prævaricatione mentitum ? Omnia enim per ipsum , inquit , facta sunt . Non est ergo aliquid , quod Pater non fecit : qui omnia fecit . Neque est aliquid quod Pater non per Filium fecerit , per quem omnia fecit . Proinde quidquid est naturaliter aliquid , necesse est , ut inter ejus opera deputetur per quem facta sunt omnia , & sine quo factum est nihil . Quid Beate Fulgenti dicis ? Quid

Discipulo Scarilani & credere doces, & prædicare jubes? Evangelista omnia à Deo creata dixit: non muscas, pulices, cimices, vel scorpiones nominavit. Cur tibi non sufficit omnia dicere, & ea quæ à veritatis Discipulo plus ceteris dilecto didicisti, Discipulum docere? Sed specialiter creaturas conaris suis nominibus appellando inter omnia deputare? Cur non terroris horum monstrorum minis, qui eos qui intra culices, aut cimices Deum esse dixerint, separandos dicunt ab Ecclesiæ membris, postquam eum fatentur intra omnia habitare literis simul & linguis? Sed forte idcirco hæc adstruis, quia scis non esse omnia, si defuerint muscae, vel cimices: cum constet tunc omnia veraciter posse dici, cum constituerit de his quæ substantialiter aliquid sunt, nihil deesse. Nam cui vel minima pars deest, totum esse non potest. Totum autem esse, nil minus extat habere. Hinc est, quod alio loco dixisti: Nihil est in Cælo, nihil in terra, nihil sub terra, nihil in qualibet natura, quam fecit non factus, ubi deesse possit idem unus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Cimex ergo, musca vel culex, aut aliquid sunt, & ab eis Deus non deest; aut si deest, nihil sunt. Sed quia unicuique eorum forma inest, membrorum parilitas, & vivificans, acsi irrationalis anima, docet ea divina esse opera, cujus sunt omnia opera bona. Quamobrem constat ea annumerari posse inter illa quæ Dominus fecit, implet, circumdat, præsidet, ac sustinet; sicut tu ipse alio loco dixisti, omnia inquiens quacumque fecit, idest Spiritus & corpora, summa & ima, Cælestia atque terrestria, viventia, & quibus facultatem vivendi non dedit, ineffabiliter ubique totus Dominus Deus, & implet, & continet. Neque in his quæ dividuntur, ipse dividitur. Nec in his quæ mutantur ulla mutatione variatur. Abscultanda jam nunc sunt sincerissima tua eloquia, & intenta mente singula trutinanda, & considerandum, quid ipse vocites omnia. Jam pridem dixisti, quod muscas, pulices, scorpiones, & cimices, & si quæ sunt alia, quibus mortalis sensus offenditur, inter ejus opera debeant computari, à quo docentur omnia creata esse,

esse. Nunc vero ut insinues nihilominus , quæ sunt ipsa omnia , adjungis , & dicis : Id est , Spiritus , & Corpora. Quidquid enim creatum est , aut spiritus est , aut corpus est. Quæcumque enim videntur , audiuntur , olfactur , gustantur , aut sentiuntur , corporeæ creaturæ sunt. Quæ autem his quinque sensibus non attinguntur , Spiritus sunt. Sed adjicis , & dicis : Summa & ima , cælestia & terrestria : viventia & quibus vivendi facultatem non dedit , ineffabiliter ubique totus Dominus Deus & implet , & continet. Quid debueras dicere , quod non dixisti , qui sic omnia nominasti? Nam & beati & apostatici Angeli , atque animæ humanæ , Spiritus dignoscuntur esse: & bruta animalia , sicut & hominum genus , atque omnia , quæ moventur in terris & aquis , vivunt & sentiunt. Arbores æquè & herbæ , licet non sentiant , vivunt. Supersunt autem Cældm , & Sidera , aér , terra , & aqua , lapides , & cuncta meralla , quæ appellas non viventia , quæ tamen omnia à Domino Deo fateris esse plena. Et ut eorum dictum evaquareas , qui dicunt : Si in pulice est , interficitur cum eo : & si in ligno , dividitur cum illo ; aut si in mæcho , vel fure , peccat cum ipso ; prosequeris , ac dicis : Neque in his , quæ dividuntur , ipse dividitur ; nec in his , quæ mutantur , ulla mutatione variatur. Ut autem illorum stultitiam argueres , qui totum per naturalem essentiam in Christo , & non totum esse credunt in alio quolibet corpore , vel Spiritu , alibi dicis : Ideò ipse unus Deus Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus , totum implet , totum continet. Sic totus in singulis , sic totus in cunctis , sic totus in parvis , sic totus in maximis: ita per naturam , non ita per gratiam. Noveras enim Paulum de divisione gratiarum dixisse. Alij datur per Spiritum sermo sapientie. Alij sermo scientie secundum eumdem spiritum. Alij gratia sanitatum in uno spiritu. Alij operatio virtutum. Alij prophetiae. Alij discretio spirituum. Alij genera linguarum. Alij interpretatio sermonum. Hæc omnia operatur unus , atque idem spiritus , dividens singulis prout vult. Qui enim indivisus singulis prout vult , & cum vult , dopsa distribuit ; & in maximis , & in minimis

<sup>1. Cor.</sup> <sup>2. 4.</sup> sem-

sem-

semper adest. Quia sicut præsens totus, non omnes taxat, quas in se habet, divitias uni tribuit; ita etiam totus præsens nullam, nisi voluerit, concedit.

## C A P. XXIII.

### DE DIFFERENTIIS CREATURARUM.

**D**ifferentias autem creaturarum quinque esse, ita habetur Beato Augustino in libris de Civitate Dei, difiniente. Inquit enim: In his quæ quoquo modo sunt, & non sunt quod Deus à quo facta sunt, præponuntur viventia non viventibus, sicut ea quæ habent vim gignendi his, quæ isto modo carent. Et in his, quæ vivunt, præponuntur sentientia non sentientibus; sicut arboribus animalia. Et in his, quæ sentiunt, præponuntur intelligentia non intelligentibus; sicut homines pecoribus. Et in his quæ intelligunt, præponuntur immortalia mortalibus: sicut Angeli hominibus. Sed quia mirifice disputans, quinque nobis gradus in creaturis esse monstravit, quorum inferiorem illum perhibuit, qui utique vita caret; quærendum est ab eo, in quo gradu cælum hoc corporeum consistat, ubi nos hostis Iesu Deum querere, & adorare mandat. In libro siquidem quæstionum de Evangelio disputans, ait: *Quid factum est, in illo vita est.* Omnia igitur quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso verbo Dei vita sunt: in se ipsis vita non sunt. Cælum, terra, lapis, vitam non habent: & tamen in Deo vita sunt. Vivunt igitur in Deo, sine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum, ac per hoc plus videntur ab Angelis Sanctis in verbo Dei, ubi sunt vita, quam in se ipsis. Sed & egregius Doctor Isidorus in libro differentiarum dicit: Quot sunt gradus, vel differentiae rerum? Sex. Quæ? Non viventia, viventia, sentientia, rationalia, immortalia, novissimum quod est super omnia Deus. Primus gradus eorum, quæ non crescunt, vita motuque carent: qualis est in lapidibus. Secundus in his, quæ crescunt, vitam motumque sine sensu habent: qualis est in herbis vel

Arboribus : quibus si minime vita insensibilis , motusque inesset , nec germinare utique , neque crescere potuissent : adeo ista , quia vitam sine sensu habent , lapidibus præponuntur & terræ . Tertius gradus est in his quæ non solum crescunt , vel vivunt , sed sentiunt ; qualis est in pecoribus . Quartus gradus est in his , quæ crescunt , sentiunt vel intelligunt ; tamen mortales , ut animalia sunt : qualis est in hominibus . Quintus in his , quæ sentiunt , intelligunt , immortalesque sunt : qualis est in Angelis . Sextum id , quod immutabile , & infinitum , & simplex est , quod est Deus : à quo omnis hæc natura inspiratur , gubernatur , regitur , atque movetur . Quæ omnia , sicut gradibus crescunt ; ita sibi qualitate naturæ præcellunt : nam arbor præfertur lapidi : & pecus arbori : & homo pecori : & Angelus homini : & Deus præponitur Angelo . Denique & Claudianus de hac opinione sic dicit : Omne enim incorporeum corporeo , & in locale locali , & inseccabile secabili , & vivens non viventi in naturæ dignitate præponitur . Ergo si ita sibi hæc præferuntur naturæ , melior est auro cicuta , & smaragdo urtica , & palma cælo corporeo , & omni vita carenti elemento . Deinde præcellit originis dignitate sus cinnamum , & patens cimex fragrans balsamum ; atque perparvus pulex odoriferum lilyum , & quilibet homunculus omne quadrupedum genus . Quod ita sentiens idem vir eruditissimus Claudianus post aliqua inquit : Gratias ergo , et si non quantas debet , tamen quantas potest , Creatori suo omnis homo referat : qui illi ineffabilis benignitatis largitate essentiam cum lapidibus , vitam seminalem cum herbis , vitam sensualem & animalem cum pecoribus , vitam rationalem cum Angelis dedit .

2 Hinc etiam Beatus Gregorius gradatim creaturas nominans , quædam communia cum illis hominem dicit habere : Habet , inquiens , commune esse cum lapidibus , vivere cum arboribus , sentire cum animalibus , intelligere cum Angelis . Ergo si juxta sententiam Beati Iohanni , omnes hæc creature inspirantur , gubernantur , reguntur , atque moventur ab stabili & peren-

ni divina essentia (intra quam currunt Angeli, & consistunt, juxta illud Beati Gregorij dictum, qui & mituntur, ait, Angeli, & assistunt. Quia etsi circumscriptus est Angelicus Spiritus, summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque & missi, ante ipsum sunt: quia quolibet missi veniunt, ante ipsum currunt) nulla earum est<sup>1</sup>, quæ Deum per naturam in se totum non habeat: cum ipse eam regit & movet. Quod etiam his verbis Sanctus Julianus in Missa quotidiana<sup>2</sup> nobis insinuat, cum dicit: Dignum & justum est, nos tibi gratias agere omnipotens Deus: Cujus divinitatis immensitas sic ineffabiliter circumplectitur omnia, ut in singulis creaturis maneat tota, & in omnibus habitat universa. Non minoratur in minimis, non augetur in magnis, qui nec augetur, nec minuitur in ulla; & tamen dona auget, & minuit potenti imperio. Per dona, & adesse dicitur & deesse, & discedere & venire, non per stabilitatem propriæ naturæ. Sicut & Beatus Gregorius dicit, ubi illa verba Job exponit: *Si Job 9.  
venerit ad me, non videbo: O si abierit, non intelligam.*<sup>11.</sup>

Sæpe enim donum est gratiæ quod homo iram putat: & sæpe divinæ distinctionis ira est, quod gratiam putat. Nam plerumque gratiam æstimat dona virtutum, & tamen eisdem donis elatus corruit. Plerumque velut iram metuit adversa temptationum, & tamen eisdem temptationibus pressus ad virtutum custodiam auctior exurgit. Quis enim Deo se propinquare non æstimet, cum supernis se muneribus excrescere agnoscit? Cum vel prophetiæ donum vel doctrinæ magisterium, vel ad exercenda curationum genera convalescit? Et tamen sæpe mens dum de virtutis suæ securitate solvitur, insidiante adversario inopinatae culpæ telo perforatur. Si mentis auditum ad hujus Sanctissimi verba viri convertimus, facile scire possumus, quia tunc Deus venire dicitur, cum in amorem sui nos servat: & tunc discedere perhibetur, cum inimico, ut perdat, relaxat.

Hh 4

CAP.

(1) Subintellige creatura. (2) Missa hujus quotidianaæ à Divo Juliano compositæ meminit etiam supra cap. 13. n. 2.

## CAP. XXIV.

**QUOD QUI PRIMI GRADUS CREATURAS**  
**implet, tertij (qui utique melior est) naturas**  
**non deserit: cui utique de omnibus**  
**cura manet.**

**D**efinitis denique ac terminatis ex sententiis Venerabilium Patrum differentiis creaturarum, & quæ quam creaturam gradu præcellat; hoc nunc mihi arbitror opus incumbere, ut ostendam à prima incipiens de omnibus illis Deo curam manere, & ipsas creaturas continendo præsidere, & ambiendo replere: ut dum patuerit (ut jam multoties pronuntiavimus) cum intra vitæ non experta bono & per inlocalem essentiam retum esse, facile suadeatur tardioribus, in viventibus & non sentientibus similiter esse: ac maturiori properando processu, absque difficultate inveniantur ea quæ vivunt & sentiunt, ab ipso vivificari, sensificari, moveri ac modificari. Denique cælum, & terram, elementa, & lapides, primi & inferioris gradus naturam esse tradunt doctissimi, quos præmisimus, Vates, utpote rēs nullam vitam habentes. Sed quia Divina essentia quæ nihil condidit nolens, etiam ipsas res implet, quas ut maluit, fecit inanimes; ita nobis saeri innuunt apices. De se quippe Pater dicit in illis: Cælum & terram ego impleo. De Filio etiam ibi legitur: Replebitur majestate ejus omnis terra, fiat, fiat. Et in Salomone de Spiritu Sancto: Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Atque in Esaia de tota pariter Trinitate: Pleni sunt cæli & terra gloria ejus.

De ejus cævenda præsentia admonemur ita: Ne dicas: abscondar à Deo: & ex summo quis mei memorabitur? In populo magno non agnoscari. Quæ est enim anima mea in tam in mensa creatura? Ecce cælum, & celi celorum, abyssus, & universa, quæ in eis sunt, in conspectu illius com-

Jerem. 23

v. 24.

Pſ. 71. 19

Sep. 1. 7.

Iſai. 6. 3.

Eccl. 16.

x. 6.

(1) i.e. intra non viventias.

movebuntur, montes simul, & colles, & fundamenta terre: & cum conspexerit illa Deus, tremore conquutientur. Cujus etiam vias Psalmista designat, dicens: In mari via tua, & semita tua in aquis multis. Scilicet, quia permanentes in se, innovat omnia: & juxta voluntatem suam facit in celo & in terra.

<sup>Ps. 76. 20.</sup> 2 Quod si inanes primi ordinis creaturas sine despectu regit, & opplet, ut legum ejus series docet; constat eum eas, quibus vitam sine sensu potentialiter dignatus est inserere, similiter praesidendo nutritre, & unicuique eatum proprium corpus fingere. Nec enim a se herbæ, vel arbusta putanda sunt gigni: sed potius illo disponenti formari. De quo dignoscitur Apostolus dicere: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et iterum: *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius mortuum fuerit.* *Et quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus seminis, Deus autem dat illi corpus, sicut vult:* & uniuersique semini in proprium corpus. Si enim ipse omnium Creator corpora inanimata modicat, & vita sine sensu intra modicum corpusculum seminis arctat, ut (verbi gratia) in parvissimo semine sici, ubi nascitur folium, lignum, librum; & ipse qui producturus est ea, novit: quæ tamen nullus aliis prospicere sufficit, qua ratione inde est, unde ista promovit. Idem quoque Beatisimus Paulus clamat: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.* Et dicitur hodie, ab illis deesse, quibus noscitur incrementum dare. *Qui producit,* Psalmista canit, *In montibus fœnum: & herbam servitū hominum.* Non enim a se exēunt, quæ ab alio producuntur. Ut educat panem de terra, & vinum latifacet cor hominis: ut exhibaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Quæ omnia licet spiritualem habeant intelligentiam, sunt nihilominus vera, & juxta simplicem litterarē storiā. Vis enim illa quæ non subsistentia in principio quivit formare, hac eadem hodie præsens ubique facit ea viroris sui decore terram ornare, & diversis flo-

(1) i.e. cortex, liber masculino genere.

Rom. 11.  
36.

1. Cor. 15.  
36.

1. Cor. 3.  
v. 7.

Ps. 146. 8.

Ps. 103.  
v. 14.

flosculis pingere. Hæc & enim tantum illis exterius adest, verum etiam sine extenuatione sui interius inest; qui cum quibusdam lignis medullam inserit, nonnulla vero mira dispositione solida esse decernit. Et diversa arbusta non uno germine vestit: sed & quod cui præparet novit: cui tamen hoc est nosse, quod esse: quia in illa usia, ut jam multis testimoniis docui, non est quippiam diversum vel accidens novum: sed & quod habet, & quod est, id ipsum est.

Verum videamus, an & brutorum spirituum curam gerit, qui singulis singula vivificanda corporea finxit. Beatus denique Fulgentius dicit: In eo vero ejus omnipotentia intelligitur, quia omnem creaturam visibilem atque invisibilem, id est corporalem atque spiritalem, de nihilo fecit. In quibus ipsa rerum diversitas multo magis commendat bonitatem atque omnipotentiam Creatoris. Nisi enim omnipotens esset, non una, eademque facilitate, summa atque imma fecisset. Et nisi summi bonus esset, non se gubernandis rebus quibusque infimis præstisset. Igitur tam in magnis, quam in parvis quibusque rebus conditis magna est bonitas atque omnipotentia Conditoris. Omnia enim sapienter fecit summa veraque sapientia: cui naturaliter hoc est esse, quod sapiens esse: hoc facere, quod sapienter facere. De quo per Salomonem dicitur: *Pusillum, & magnum ipse fecit: & equaliter pro omnibus cura est illi.* Cum enim de omnibus cura sit illi, cunctis corporibus, quibus vitam inservit, & pabula prævidet. Cui sic per Psalmistam dicitur: *Omnia à te expectant Domine: & tu das escam illis in tempore opportuno.* De quo etiam per eundem adjicitur:

*Qui dat escam omni carni: quoniam in seculum misericordia ejus.* Et iterum: *Qui dat jumentis escam ipsorum: & puluis corvorum invocantibus cum Caius sunt omnes fera*

*filiorum, jumenta in montibus, & boves. Qui cognovit*  
*Matth. 6. omnia volat in celi: & juxta Evangelium pascit ea. Cujus-*

*Pf. 23. que est orbis terre, & plenitudo ejus. Qui cum taurorum*  
*Pf. 49. 13 cornes non comedat, nec his cornu sanguinem bibat, non*

tamen in vano illa creavit , aut creat : sed alia condens  
vescenda dedit : alia ad medendum disposuit : nonnulla  
verò in tyrannizantium correptionem constituit , ut dis-  
cat humanus tumor in subjectione magnorum animan-  
tum beneficium conditoris : & in molestia pulicum , &  
cimicum , cinomium , & scinifum vindictam admissi  
erroris : quo cum divina cooperante clementia domare  
valeat Leones , & Ursos , Tauros , Camellos , & agiles  
Equos , neenon etiam robustissimos Elefantes , & imma-  
nes bestias ad usus redigere suos ; perparvos tamen culi-  
ces , quos uno conterere digito sufficit , nequit habere  
subjectos . Quis , queso , his minutissimis rebus tam indo-  
mabilem spiritum inserit ? Nonne ille qui præsens ubique ,  
belluinos animos mansuescit ? Aut quid horret in musca ,  
ut dicatur Deus intra omnia habitare , & non esse in ip-  
sa , cum dignitate conditionis lapides præcellat , & ter-  
ram ? Interduinque etiam ultionem in contumacibus per-  
eam exerceat divina censura , sicut nos instruit lex sacra ,  
ubi dicitur : *Immisit in eos muscam caninam , & comedit Psal. 77.  
eos ; & rana exterminavit eos.* Et illud . *Dixit & venit  
Cynomia & Scinifis in omnibus finibus eorum.* Et iterum :  
*Dixit , & venit Locusta , & bruchus , cui non erat nume-  
rus.* Quæ etiam Deus fortitudinem suam appellat dicens :  
*Locusta & bruchus , fortitudo mea magna , quam misi in 25.  
vos.* Cum Deus hæc omnia protestetur se mittere , num  
intellectualem Spiritum constat ea habere , ut auditio  
auctoris imperio optemperent ei ? An potius illa vi qua  
ipse movet omnia , moventur & ipsa ? Nam cum mani-  
festum sit , illa quæ agunt nescire , ad vicem virgæ sita in  
manu Domini , ille voluntatem suam in eis operatur , qui  
per Job dicitur , *nihil in terra sine causa patrare.* Sane si  
in eis exercet opifex placita libi , inest sine dubio illis ,  
qui voluntatem suam justam compleat in ipsis . An non  
voluntatem Dei in Herode impio , & Antiocho pessimo ,  
parvi explevere vermiculi , qui unum coegerunt Deo  
cedere ; alterum vero gladij animadversione vitam libi

45.  
*Psal. 104.*31.  
*Vers. 34.*

Joel 2.

25.  
*Job 5. 6.*

Act. 12.

23.  
2. Mach.  
cap. 9.

(1) i.e. cynomyarum , &amp; cyniphum .

extorquere? Et quos militum manus expavet ferrata, hos consumere non pavitavit vermium inermis, & teterima turba. Quis hoc quæso tunc egit? Nonne ille, cuius Ecclesia misericordiam & judicium canit? Sed & verem Jona correctorem sustinuit, sicut Scriptura dicit:

*Jona 4.* Et paravit Dominus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit. Qui utique parvit, non absens instituit. Et qui illum succidere hederam instigavit, intra eum esse non horruit. Sed ut alias & inferam, multis aliis creaturis videntur prodeesse illa, quæ nobis solent nocere.

*4.* Quid dicam? Num de solis hominibus cura est Deo? Et non potius de omnibus rebus formatis ab eo? absent. Beatus Julianus dicit, <sup>(3)</sup> Interrogatio. Cum Psalmista dicat: *Homines & jumenta salvos facies Domine*: quomodo Paulus Apostolus, quasi è contrario videtur dicere: *x. Cor. 9.* Numquid de bobus cura est Deo? Responsio. Hec Sanctus Augustinus ita distinguit, dicens: Ecce dicitur, quod de bobus non sit cura Deo. Rursumque dicitur: *Homines & jumenta salvos facies Domine*. Numquid contraria sunt ista? Non. Ad præcepti ergo tenorem non est de bobus cura Deo. Ad prvidentiam universitatis cura est illi de omnibus. Quid ergo ait Apostolus? Numquid de bobus pertinet ad Deum? Ubi præceptum dedit: *Bovi Dent. 25.* trituranti os non infranabis; ibi de bobus non cogitavit Deus? Itaque quoddam boves voluit significare. Non enim hoc curat Deus monere, quid agas cum bobus. Habet hoc natura ipsa humana. Sic factus est homo, ut norit consulere jumentis suis, nec inde à Deo præcepta accepit: sed insinuatum est illi in mente à Deo, ut possit & sine præcepto facere, fecit illum talēm Deus. Sed quomodo regit pecus, regendus ab alio: ab eo qui regit, præceptum accepit. Ad præcepti ergo tenorem non est de bobus cura Deo. Ad prvidentiam universitatis qua

(1) melius forte severissima. (2) f. alia. (3) Hec ex opere Antikeimenon Divi Juliani Toletani desumpta sunt: sed in Tomo XV. Biblioteca Veterum Patrum, editionis Coloniensis, ubi Schotus suo Auctori opus illud restituit, desiderantur.

creavit omnia, & mundum regit, homines, & jumenta salvos facies Deus. Intendat charitas vestra. Hic forte aliquis dicat mihi: De novo testamento est, quia de bo-  
bus non pertinet ad Deum. Homines & jumenta [salvos facies Domine] : de veteri testamento est. Sunt qui ca-  
lumnientur, & dicant, non sibi consonare ista duo Tes-  
tamenta. Ne forte aliud dicat in Veteri, aliud in Noyo;  
& flagitet de me sententiam de Novo talem<sup>2</sup>, qualis est  
hæc: Homines & jumenta salvos facies Domine; quid  
facio? Nihil tam in capite novi Testamenti, quam Evan-  
gelium. In Evangelio invenio, quia omnia ista pertinent  
ad Deum. Nemo erit jam, qui contradicat. Numquid  
enim Apostolus Evangelio contrarius erit? Audiamus ip-  
sum Dominum, Principem & Magistrum Apostolorum.  
*Respicite, inquit, volatilia Cali, quia non seminant, ne-* Matth. 6.  
que metunt, neque congregant in borreum, & Pater vesi- 26.  
ter Cœlestis pascit illa. Et de vestimento quid solliciti es sis?  
Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant ne-  
que nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in om-  
ni vita sua coopertus est, sicut unus ex ipsis. Si enim fœnum  
agri, quod bodie est, & cras in elibanum mittitur, Deus  
se vestit, quanto magis vos modicæ fidei? Ergo & præter  
hominem animalia, & herbae<sup>3</sup> pertinent ad curam Dei, ut  
pascantur, non ut legem accipient. Quod ergo ad le-  
gem dandam attinet, de bobus cura non est Deo. Quod  
autem ad creanda, pascenda, gubernanda, & regenda,  
omnia ad Deum pertinent., , + Hinc etiam in Evangelio  
dicitur Matthæi: Nonne duo passeres affe<sup>4</sup> veneunt, & unus Matth.  
ex illis non cadet sine Patre vestro super terram? Lucas 10. 29.  
vero sic dicit: Nonne quinque passeres veneunt dipondio Luc. 12.  
uno, & unus ex illis non est in oblivione apud Deum? Quos 6.  
enim recordatur & pascit, gubernat & regit, & sine quo

(1) Desunt verba illa in nostro Codice MS. Extant apud Augustinum super Psalmum CXLV. n. 13. edit. Paris. (2) MS. denotabilem. Au-  
gustinus vero, sicuti restituimus. (3) Augustinus ibidem: animalia ista  
pertinent: nec enim ex Evangelio alia intulit verba, quam que per-  
tinent ad volatilia. (4) Hucusque Augustini verba sunt, loco superiori me-  
morato.

quo unus ex illis super terram non cadit; non solum cum ipsis, & intra ea est, verum etiam in illis, unde ea passere potentialiter ipse disposuit, cui æqualis de omnibus cura manet.

## C A P. XXV.

**Q**UOD NIHIL SIT D E O M A L U M ,  
nisi malitia rationalium creaturarum; cui putent  
vitia & fragrant virtutes.

**C**UM mali natura nulla sit, & tamen ipsum malum res Deo odibilis sit, id datur intelligi, quia & per se non est, & in aliis esse potest. Quamobrem principium hujus nominis à nobis sollicitè est querendum, ut sciri liceat quis primus invenit id ipsum, quod dicitur malum. Salvator denique omnium tale de Diabolo pro*Joan. 8.* tulit testimonium: *Mendax est utique*, dicens, *O Pater ejus.* Quod mendacium requisitum, tale invenitur à Pro*44.* *Isai. 14.* pheta signatum: *Dixisti in corde tuo: super sydera ascen-*  
*83.* *dam: ponam ab Aquilone sedem meam, ut similis altissimo*  
*fiam.* Quod pro certo constat falsum. Quia natura circumscripta & facta de nihilo, non potest comparari in circumscrip<sup>t</sup>to auctori suo. Enim verò si Diabolum inventorem comperimus mendacij, constat ipsum mendacium malum esse, & ex superbia originem trahere, seu ex malo cupiditatis natum fuisse. Quæ utique vitia ita sunt sibi perplexa, & inextricabiliter innodata, ut unum sic inhæreat alteri, ut neutrum facile possit ab altero segregari: sique alterum alteri sit unitum, ut vix discernatur quid à quo sumat initium. Denique per Salomo*Ecli. 10.* nem dicitur: *Principium omnis peccati superbìa.* Apostolus autem pronuntiat, quod *radix omnium malorum cupiditas* habeatur. Ergo quia certum est, utraque vera esse, & unum inventorem utriusque mali apostamat Angelum nullus valet negare; appareat eum non superbisse, nisi quod contra naturam Deitatis concupivit imperio frui. Nec concupisse illicita, nisi superbie fastu mente tumida,  
*1.Tim. 6.* per

per quod divina à se dejicere maluit jura; & appetere ausus est potestatem privatam. Evam verò primam hujus mali Discipulam in hoc fuisse serpantino ore inlectam, ut & per superbiae malum divinum calcaret præceptum, & cupiditatis obtentu, parum reputaret totius creaturæ terrestris imperium, nisi esset ut Dij sciens bonum & malum. Cujus rei gratia ostenditur, illis tantum creaturis malum inesse, quæ discretione præditæ superbire possunt, concupiscere, & mentiri. Illas verò vacare ab eo ipso, quibus propter brutum insertum spiritum, aut forte nullum à Deo concessum, nec paradisi pollicetur regnum, nec gehennæ minatur incendium. Nec in aliis, quam in ipsis, in oculis ininitiatæ escentiæ regnat malum, qui tales conditi sunt, ut discernere possint inter ipsum & bonum. Nam quas Deus privavit scientia sui, nec concupiscere contra auctoris imperium sufficiunt, nec superbire: sed illis tantum sunt rebus contentæ quas Divina providentia dignata est illis largire. Inde est, quod scriptum est: *Videns autem Deus quod cuncta cogitatio hominum effet ad malum, pœnituit eum fecisse hominem super terram.* Gen. 6. 5. Hinc per Prophetam clamat: *Aufeite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Isai. 1. 16.

**2** Hinc Psalmista dicit: *Dominus interrogat justum, & impium. Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ps. 10. 6. Hinc per se Veritas dicit: *De corde exeunt cogitationes male.* Matth. 15. 19. Hinc per Prophetam jubetur: *Lava à malitia cor tuum.* Jerem. 4. 14. Hinc rursus per Psalmistam dicitur: *Ne tradas me Domine cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdideris me.* Ps. 27. 30. *Cum his, qui loquuntur pacem cum proximo suo; mala autem sunt in cordibus eorum. Da illis Domine secundum opera eorum, & secundum nequitiam studiorum ipsorum: & secundum opera manuum illorum retribue illis: redde retributionem ipsorum ipsis. Quoniam non intellexerunt in opera Domini, & in operibus manuum suarum, non consideraverunt: destrue illos, neque adificabis eos.* Hujus rationalis creaturæ mala sic se odit per Joannem perhibet divina censura: *Odiisti, dicens, facta Nicolaitarum,* Apoc. 2. 6. *qua & ego odi.* Cui etiam ab Hymnidico dicitur: *Odiisti Ps. 5. 6.* Do-

*Domine omnes, qui operantur iniquitatem. Et in alio loco*

*Ps. 106. dicitur: Exacerbaverunt eloquum Domini: & consilium  
11. altissimi irritaverunt. Per Salomonem quoque dicitur:*

*Prov. 15. Victimæ impij abominabiles Domino. Sunt sane &c. alia  
8. multa in sacris litteris inserta, quæ displicere docent Deo*

*rationalis tantum creaturæ adinventionem pravam, non  
cujuslibet substantiæ à se conditæ naturam. Quamobrem  
aliud constat, nihil ei fœtere, quam malum, nec fragra-  
re, quam rationalium creaturarum obsequium indefes-  
sum. Nisi enim nosset Apostolus opera justitiae ac pie-  
tatis Deo fragrare, Corinthiis scribens non diceret uti-*

*z. Cor. 2. que: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo  
v. 14. • to Iesu: & odorem notitiae sua manifestat per nos in omni  
loco: quia Christi bonus odor sumus Deo in his, qui salvi  
sunt: & in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in  
mortem: aliis autem odor vitae in vitam. Quique etiam*

*Philippenium eleemosynas dignis laudibus attollens,  
Pbil. 4. dicit: Habeo omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab  
18. Epafroditō, quæ misistis, odorem suavitatis, hostiis ac-  
ceptam, placentem Deo. De quo odore & Psalmista dicit:*

*Psal. 140. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Ele-  
2. vatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hinc &  
Psal. 44. Ecclesiæ dicit: Myrrha, & gutta, & cæsia à vestimentis  
9. tuis. Hinc iterum dicit: Laudabo nomen Dei mei cum can-  
tico: magnificabo eum in laude; & placebit Deo super vi-*

*Psal. 68. tulum novellum cornua producentem, & ungulas. His  
31. etiam odoribus fragrantem Ecclesiam prævidens Spiritus  
Cant. 1. Sanctus in canticis Canticorum dicit: Meliora sunt ubera  
1. tua vino fragrantia. Et iterum: Quæ est ista, quæ ascendit  
Cap. 3. 6. à deserto sicut virgulta fumi ex aromatibus myrræ, & thu-  
ris, & universis pulveribus pigmentarij? Quam pulchra  
Cap. 4. sunt mamma tue soror mea sponsa. Pulchriora sunt ubera  
20. tua vino: & odor unguentorum tuorum super omnia aroma-  
ta: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Ubi  
non ea laudantur utique quæ terreni negotiatores ven-  
alia solent in compitis distrahere; quæ quidem humano  
olfatui interdum solent grata esse: quæ utique in regias  
thecas possunt nimia optiri: aut in principum ædibus,*

qui

quibus pretium suppetit, quo queant ad suum illa libatum emere: sed illa potius attolluntur, quæ nulla metallorum inopia quit auferre, quorum abundantiam, vel potius impedimentum, Petrus & Joannes se negabant habere, dum opem petenti non distullerunt respondere:  
*Aurum & argentum non est nobis: sed quod habemus damus tibi.* In nomine Iesu Christi surge & ambula. Talibus virtutibus resperfa Ecclesia, quæ pro Christo pauperrima, sed in Christo supramodum inclyta est effecta, dicit sub voce præconia: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem.* Sic utique & per Joannem dicitur: *Stetit Angelus ante altare, babens thuribulum aureum: & data sunt ei incensa multa, ut daret orationes Sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum.* Et impositis incensis ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum per manum Angeli in conspectu Dei. Et infra: *Quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes singuli citharas, & fias aureas plenas incensis odoramentorum: quæ sunt orationes Sanctorum.*

Cui enim Sanctorum opera, & orationes fragrant huic impietas & malitia Dæmonum, & hominum putere quis nesciat? Sic utique docemur Beato Augustino docente, ubi de quadriduana morte noscitur tractasse. More namque suo tam spiritualiter, quam moraliter, quadriduanam mortem edifferens, nihil aliud foetorem maluit definire, quam vitia, ac crimina animæ. Nam & eos, qui originali peccato subditi, nec naturalis legis, nec veteris testamenti censuræ, nec novi obediunt gratia, foetidos, & quadriduanos prohibet. Similiter & illos, qui cogitato, dicto, vel facto, atque pessimæ consuetudinis opprimuntur malo, ac per hoc putido respurguntur infamio, quadriduanos censuit, & foetentes in vitiorum sepulchro: quorum tamen maximum coetum, & vestibus nitet, & unguentis ad augendum vitiorum fomitem sese crebro perfundit: ut odoribus crispans, facillimè scelus committat, quod incircumscripsit naribus putet. Sed quis infanus hoc poterit vel tenuiter suspicari, cum uxor Job dicitur halitum ejus horruisse, illum

etiam Deus despexisse, & è medio ejus adjuvans defuisse? Aut cum vermium ebullire agmina eum quispiam legat, non illius mentem Deo fragrare adstruat, licet mortali-  
 bus membra ejus foetisse audiat? Non enim tantum incir-  
 cumscrip<sup>t</sup>æ effientiæ ullum putens cadaver horret, quan-  
 tum Pharaonis perfidia, licet s<sup>a</sup>pere bisamo<sup>1</sup> fese unxerit,  
 & aromatibus vaporarit. Idcirco autem individua Trini-  
 Dan. 6. tas nec in medio leonum Danielem deseruit, quia foetor  
 Jon. 3. cadaverum, bestiarum videlicet cibus, illius essentiam  
 non offendit. Ideò & cum Jona protector & custos in  
 ventre cœti adfuit: quia vitium illi, non simum putet.  
 Proinde in medio sulfurei, & picei capini cum Anania,  
 & sociis ambulavit, quia virtutes, & laudes eorum de-  
 lectabatur: qui etiam impurissimi Regis oculos ad se vi-  
 dendum licet per subjectam creaturam aperuit. Qui Ni-  
 nivitas miris vestibus, & pigmentis ornatos perdere di-  
 xit: quorum facta punienda censuit: & tamen ciliciis, &  
 Lue. 16. cineribus in poenitudine delectatus sententiam tempera-  
 21. vit. *Quis nostrum non Lazarum<sup>2</sup> ulceribus plenum, ca-*  
*num linguis litum<sup>3</sup>, utpote cadaver foetidum, Deo præ-*  
*dicet carum, spirituque unitum; & in purpura, & bysso,*  
*cinnamo, & libano, ungula, & balsamo divitem luxu-*  
*riantem divino olfactui afferat foetidum?*

4 Quod cum ita sit, non nostras nares debemus con-  
 sulere, & illa mendaciter, quæ nobis sunt grata, Deo  
 placita estimare: ea verò quæ nos offendunt, illi despi-  
 c<sup>4</sup>cientia censere: cum constet multis aliis fragrare, quæ  
 nos vix longe posita propter inconvenientiam nasu va-  
 leamus haurire: multa etiam nobis optima esse, quæ aliis  
 creaturis magis possunt officere, quam prodesse. Nam  
 non sic Vultur delectatur amomo, sicut cane mortuo:  
 cum & hoc constet redolere, & illum nobis supra mo-  
 dum foetere. Fimo quoque, ut fruges pariat, sterilis pas-  
 citur arva, non pecudum arvinis, vel olei, aut mellis

(1) *bisamo* unguenti quædam magnæ suavitatis species denotatur; cum in Vita Eulogij Alvarus dicat: *amomo, balsamo, bisamo que com-*  
*miscaens, n. 19.* (2) MS. *Eleazarum.* (3) *f. lindum, à lingo.* (4) *f. dis-*  
*plicentia.*

liquore. Sane cui de omnibus cura manet, cuncta opportuna condere debuit: qui utique nihil nolens fecit, aut superfluum condidit, quod in nullo mutatum auctor horreret, aut despiceret. Si enim illi fragrantia volumus adhuc experimento cognoscere, animam debemus conspicere, in qua nos credimus ad imaginem Dei creatos esse. Quam cum verum sit in toto nostro corpore totam esse, & in qualibet parte corporis totam consistere: nec polluitur, si bona est, in intestinis ex simi proximitate, nec in renibus ex foedo humore. Deinde juxta sententiam Claudiiani aliquid debemus advertere in hac Dei imagine, per quod ad Creatricem ejus substantiam gradatim valeamus ascendere. Ait nempe: „Intellectum tuum, si potes, intellige: cui soli cum Angelo hoc videre concessum est. Num quippiam in intellectu tuo longum, latum, aut altum vides? Num splendor ullius corporeæ lucis ibi rutilat? Num aliquid cantilenæ modificatus, & per tempus fluens illi insonat? Aut evanescentis fragrantiae suavitas halat? Aut aliquid istic corpulentum sapit? Aut aliquid molle, vel durum localiter tangitur? Visus illius clarescit prudentia, tenebrescit insipientia. Auditus illius fallacia offenditur, veritate mulcetur. Inlocaliter illi fragrat æquitas: foetet iniquitas. Vanitate tabescit: virtute pinguescit: miser est contubernio stultitiae: beatus complexu sapientiae. Totus igitur oculus est, quia totus videt, & totum, quod inspicit videt. Quodlibet autem corpus nec totum videtur, nec totum videt. Totus auditus est, quia totum, quod audit, totus audit. Corpus autem nihil totum audit: & totus odoratur, gustat, ac tangit. „Si audivimus, quid imagini Dei lucet, mulcet, halat, vel foetet, debemus scire, quid illi substantiae incongruum sit, ad cuius imaginem animus conditus fuit. Nec putemus res bene conditas Deo displicere, quem novimus *Omnia in sapientia fecisse*: & ea quæ sa-

Pf. 103.  
24.

(1) Apud Claudiian. lib. i. de Statu animæ cap. 21. sic legimus: *Num aliquis cantilenæ modificatus & per tempus fluens canor illie insonat, aut evanescentis fragrantiae suavitas balatur, &c.*

pienter fecit , diligere , gubernare , continere , & imple-re. Illa verò foetida coram ejus omnipotentiam esse; quæ ille rationalibus creaturis decrevit cavere. Unde & in animas Sanctorum per diversa charismatum munera to-tus permanens , nec animam in cōrde positam deserit , nec in intestinis dimittit , nec in renibus derelinquit , quia ubique propter suam munditiam attingit : & non prop-ter absentiam à corporeis sordibus mundus permanet.

*Jerem. 38* Nam & in lacu Jeremiæ adfuit , & per Martyres diver-sas virtutes fecit: cum & luto ab hostibus perfussi , & in spurcissimis locis dediti , & inter foetores , ac tenebras fuissent locati.

## CAP. XXVI.

**Q**UOD DUM QUIS STUPRUM  
commitit , Deum per essentiam ab eo loco , ubi  
malum agitur , expellere nequit : qui est  
nequit , & Creator  
hominis.

*Habac. 1.* **Q**uia verò immaculatum , & purum , incoinqui-natum & mundum , & cujus oculi , juxta Aba-cus , non vident (adprobando utique) malum ,  
*13.* & respicere ad iniuriam nolentem Hostis Jesu audit Deum ; quem constat eos quos nescio scire , & eos , quos ad salvandum non videt , ad puniendum videre ; hoc illi visum est justum , hoc apparuit rectum , ut ab eo loco per naturæ proprietatem extraneum confiteatur & præ-dicet eum , ubi contra ius legis fœdissimum patratur stuprii. Neque hoc ei videtur divinae substantiae conve-nire , ut tantum sumen ibidem queat adesse , ubi & cri-men admittitur , & imunditia exercetur. Unde pensan-dus est omni recte credenti , & pie de Domino sentien-ti , si propter cuiuslibet hominis scelestam commixtio-nem Deo liceat proprietatem suam aliquatenus immuta-

re, cui proprium est ubique esse, & ubique totius esse: & sic Cælum & terram implere, ut nihil in Cælo, nihil in terra, nihil in aquis valeat substantialiter esse, quod non fecerit ipse: nihil queat consistere, quod non contineat ille. Quique etiam juxta fidei Catholicae regulam, à Sanctis Patribus constitutam, sic tota quæ fecit, creditur implere, ut nec recedere per naturam aliquatenus valeat, nec venire, nec contrahi, nec extendi: sed in perenni incommutabilitate in perpetuum perdurare. Quamobrem orthodoxia non credo congruere, ut Spiritus Sanctus, qui ante culpam, & post culpam David Regi per prophetæ donum legitur adfuisse per naturalem essentiam, dum culpæ inserviret, temporaliter, vel localiter, ab illo dicatur recessisse. Aut qui Samsoni in Dalilæ meretricis cubantis sinu, ut in incendio segetum, & nece Philistinorum, adfuit per specialem fortitudinis gratiam tertio post abrasionem crinum contraxerit se, aut recesserit per naturam ab illo, & extenderit postmodum, ut ad subversionem templi occurreret morituro: sed potius per donum gratiæ, & non dando defuit, & dando adfuit, qui per naturam nec recessit aliquatenus, nec accesit. Ut autem & alia inferam, nonne ille, qui amico Abrahæ promisserat in semine ejus omnes tribus terræ hereditario jure possidere, noverat humanitatis formam, per quam promissa decreverat implere, ex Judæ successione oriri, & Davidica pullulare radice: cum etiam Propheta dicat: *Exiit virga de radice Jesse: O flos de rā dice ejus ascendet.* Et quia juxta Apostoli dictum, in lumbis Abrahæ Levi commanens summo Sacerdoti Melchisedech decimas obtulit. Ergo & David in lumbis Loth fuit, cum filia sese commiscuit. Similiter & in Judæ corpore erat, quando cum Thamar naru incestivè cubabat. Et quis eum tunc, oro, inter ipsa stupra noverat, & benedictum semen, in quo hereditandæ erant gentes ibidem disponebat? Nonne is per quem Pater omnia creat? Moab quippe, ex cuius Ruth est orta prosapia, de qua Deo per Prophetam dicitur: *Emitte agnum dominatorem terre de petra deserti ad montem filie Sion,* Loth filius;

Judic. 14.  
cap. 14.  
Gen. 12.  
Isai. 11.  
1.  
Hebr. 7.  
Gen. 19.  
36.  
Gen. 38.  
18.  
Gen. 19.  
37.  
Isai. 16.  
1.

*Gen. 38.  
v. 29.  
Matth. 1.  
v. 3.*

& de Olla natus nepos fuit. Phares vero Judæ pignus ex nuru ejus Thamar, in incestu satus extitit; de cuius stirpe Salvator noster & Dominus formam servi suscipiens suæ divinitati univit. Num illius deitatis natura ibi defuit, ubi ejus humanitatis substantia, per Judam & Thamar seminariè creata fuit? Quis hoc, nisi incredulus umquam dixit? Quis nisi alienus à Deo suspicavit? Ut quid humanum genus omne, ut vult, disponit; & Esau Jacob in matris alvo posito serviturum præscivit, & prædictum prædestinavit? Phares ex Judæ lumbis nascentem non ipse plasmaverit, qui utique pollicitationem suam ex quibus natalibus compleret, ante sæcula bene novit? Quid autem de Gepte dicam, super quem etiam ad debellandos Ammonitas Spiritum Domini factum legimus, & per cuius manum salutem maximam actam cognovimus? Nonne & ipse ex adultera natus fuit? Ob quod etiam inter filios Galaad sorte caruit, & hæreditatem amisit. Ipse ne etiam absente Deo conceptus, & sine Deo arbitrandus est fuisse formatus? Absit. Job denique dicit: *Nonne sicut lac mulsiisti me, & quasi caseum coagulasti me?*

*Judic. 11.*

*Job 10.  
10.*

2 Quod tractans Papa Gregorius sine exceptione aliquuj personæ inquit: „Plasmatus quippe homo ut lumen factus est: propagatur autem, & sicut lac mulgetur semine, & sicut caseus coagulatur in carne. Per lutum ergo primæ conditionis [qualitas] <sup>1</sup> per lac vero sequentis ordo conceptionis exprimitur. „Unde datur intelligi, quod licet ad flagitia committenda liberi arbitrij ducamur deceptione, ipse tamen natos ex adulterina compingit commixtione, qui etiam illos format, qui ortum trahunt ex promissione. Neque enim Samsoni ad alienigenarum amplexus nimium astuanti profuit facta promissio, quin tonso crine, & cameratis luminibus æmulis tradetur inludendus. Nec Gepte obfuit, quod ex meretrice dicitur natus, cum dono fultus Spiritus Sancti ab Ammonitis contribules eruerit suos. Sed ut in aliis capitulis jam

(1) *qualitas deest in MS. Extat apud Gregor. lib. 9. in Job cap. 37.* præ-

præmisi , ubi sœva <sup>1</sup> perpetrantur incesta , adest ibi Deus , ut creet , non ut ad malum incitet. Adest testis culpa , non adjutor in crimen. Adest sinendo male conceptum libitum explere , non particeps ipse in scelere. Adest per naturam , sed deest per gratiam. Nec mirum cum Deum dicimus uno tempore adesse pariter & deesse , cum etiam ejus imagini hoc ipsum nonnumquam videamus accidere. Ut enim noster ait Claudianus , animus humanus præsens subtrahitur : & ibi positus abesse invenitur. Hinc est , quod etiam dum corpori administrat , atque sensificat , si quando in summa eademque semper attollitur: ita quodammodo corporeos deserit sensus : ab his denique inlocaliter abscedit , ut coram posita non videat : ut juxta sonantia , non audiat , ut percursam legendo paginam , non intelligat. Adest anima , ut per oculum litterarum signa colligat ; eademque in syllabas sociata conjungat , ac per verba distinguat : & non adest , ut quid per hæc fecerit sciatur. Lego clare aliquid , pronuntiante me alter intelligit , qui in id mentis oculum figit , ego verò ipse , quid legerim nescio ; quia in aliud anima inlocaliter intenta discessit. Denique cum ad me metipsum , vel admonitus redeo , ego ipse sum , qui utique redeo: & ego ipse sum ad quem redeo ; & mecum non fui qui ad me per intervallum , non loci , sed temporis rediij , & extra me non fui , quia sine me esse non potui. Ipsa istic est anima , ut per oculum quæ leguntur videat : & ipsa istic non est , ut quæ leguntur intelligat. Sæpè enim evenit , ut sive quibuscumque lectionibus admoduantes visum , sive relationi cuiquam adhibentes auditum , cum hæc eadem non minus intelligi , quam videri , atque audiri facillimum sit , utroque tamen sensu sonos , atque signa capimus , cum quid hæc significant , non intelligamus : & tamen rursus in id , quod intellectum non erat , animæ referentes obtutum , absque ulla hoc idem difficultate comperimus : tota est ibi anima , ubi cogitat ; quia tota cogitat. Quod enim cogitat accidentis est : subs-

tantia verò , quæ cogitat. Ergo & Creator animæ & totus ubique adest : & tamen illi , cui nihil tribuit , per hoc quod non largitur deest. Et sicut animam à se ipsam absentat affectus , sic Deum à creaturis , non affectus , qui ei nullus est , removet ; sed potius gratiarum largitionis effectus. Tunc enim illum unusquisque habere dicitur , cum ab eo ne pereat conservatur. Tunc amittere prohibetur , cum ab illo ut pereat relaxatur. Qui tamen sæpe præsens , & justos ut proficiant adjuvat : & impios incursum malitiaæ suæ non nisi justè finendo condemnat.

## C A P. XXVII.

QUOD ETIAM MALIS PRÆSTO  
fit Deus.

**I**NON solum bonis , sed etiam malis Deum adesse hinc maximè possumus advertere , cum eos interdum videmus per donum Spiritus Sancti futura prædicere ; & quæ necdum facta sunt , uti habenda sunt prophetare. Nam ut ea , quæ dicimus , facilimè dentur intelligi , personas bonum est prodere , qui & futura vaticinati sunt , & tamen pravè vixerunt. Lamech enim filius Matusael ex posteritate maledicti Cain fuit : qui tamen non sine dono Paraclyti prophetavit , quod in septuagesima septima generatione originale peccatum per Christi indebitam mortem finem acciperet: ait enim :

*Gen. 4. dite vocem meam uxores Lamech : auscultate sermonem meum , quoniam occidi virum in vulnus meum , & adolescentulam in livore meo. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies. Nec quælibet bona fuisse opera Pharaonis lex perhibet , qui tamen somnium exponens à Joseph audivit : Somnium Regis unum est : quæ futurus est Deus , ostendit Pharaoni. Ecce Deus sua secreta impio ostendisse perhibetur. Et qua ratione illi non confitebitur adesse per naturalem præsentiam , quem etiam , cum voluit , prophetare fecit rem post annos su-*

turam? Quid autem de Balaam ariolo dicam? Qui non solum futura in proximo narrat, sed etiam Christi adventum longè ad futurum contemplans clamat: *Videbo eum, Num. 24*  
*sed non modò: intuebor illum, sed non propè. Orietur stel-*<sup>17.</sup>  
*la ex Jacob, & consurget homo de Srael.* Numquid non ipse est, qui postmodum consilium dedit, quatenus filij *Num. 31.*  
*Srael insidias tendentes immolatia eos facerent edere,*<sup>16.</sup>  
& publicè fornicari, ut per Domini iram possit illis incumberet? Jam nunc ad Saul veniam, & propheticum sanguinem sitientem prophetare audiamus. Ait enim Scriptura: *Nuntiatum est Sauli à dicentibus: Ecce David in Na-*<sup>1. Reg. 18.</sup>  
*joth, in Rama. Misit ergo Saul Lictores, ut raperent Da-*<sup>19.</sup>  
*vid.* Qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium,  
& Samuel stantem super eos, factus etiam est in illis Spiritus Domini, & prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit alios Nuntios. Prophetaverunt autem & illi. Et rursum Saul misit tertios Nuntios, qui & ipsi prophetaverunt. Et iratus est iracundia Saul, abiit autem etiam ipse in Ramatha, & venit usque ad Cisternam magnam quæ est in Soccoth: & interrogavit, & dixit:  
*In quo loco sunt Samuel, & David? Dicatumque est ei: Ecce in Najoth sunt in Rama. Et spoliavit se etiam ipse vestimentis suis, & prophetavit cum ceteris coram Samuel, & cecinit i nudus tota die illa & nocte: unde exiit proverbium: Num & Saul inter Prophetas?* Habes homicidam vaticinantem, & mutatum subito ab Spiritu Sancto, ut post futuris sit in proverbium versus.

<sup>2</sup> Nabucodonosor quoque impium, & superbum, crudelēm, & templi incensorem, ac plebis Dominicæ fuisse inimicum, omnibus penè est manifestum. Haic autem & in camino sese Dominus non dedit ostendere, & futura regna maluit demonstrare, & se nasciturum sine virili coitu revelare. Cui etiam Daniel sic non distulit fari: *Tu Rex cogitare capisti in stratu tuo quid esset Dan. 2. 29.* futurum post hanc. Et qui revelat mysteria, ostendit tibi,<sup>29.</sup> que

(1) Ita Biblia Gothica: Vulgata vero cum Hebreæ, & Græca, occidit.

- Vers. 44. quæ ventura sunt. Et ad finem interpretationis subjunxit:  
*In diebus autem regnum illorum suscitabit Deus Cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus populo alteri non tradetur, comminuet, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscessus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit Regi quæ futura sunt postea. Et verum est somnium, & fidelis interpretatio ejus. Ecce vera conspicit veritatis inimicus, & Regnum Cælorum venturum discit, qui nullam in Regno Dei portionem habet. Veniamus iterum necesse est ad Evangelium, &*
- Mattb. 7. ibi auscultemus dicentem Dominum: Multi dicent mibi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? Et in nomine tuo Dæmonia ejecimus? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis quia numquam novi vos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem. Constat ergo multos dono virtutum polle-re: sed in numero electorum à Domino non agnoscit. Signa per Dominum facere: sed in judicio reprobari. De quorum numero ille erat, de quo Joannes Domino referebat: Praeceptor vidimus quemdam in nomine tuo ej-*
- Luc. 9. crientem Dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. In nomine quidem Christi Dæmonibus imperabat, ut humani favoris auram sibi aggeraret, sed Dominum non sequebatur, ut deposito tumore cordis, quia mitis & humilis corde erat, disceret per quod ad suæ animæ requiem perveniret. Mirandum sanè de illis est valde, qui nolunt Deum per essentiam malis adesse, & impiissimum Caifam per Spiritum Sanctum legunt prophetasse. De quo in Evangelio Cata<sup>1</sup> Joannem scriptum est: Unus autem ex ipsis Caifas, cum esset Pontifex*
- Joan. 11. anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quem Evangelista non à se dixisse dentuntiat, dicens: Hoc autem à se metipso non dixit: sed*
- cum*
- (1) Præpositio græca, quæ apud latinos secundum.

cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quia Jesus moriturus erat pro gente.

3 Audivimus prophetasse impium, & audet quis dicere essentialiter Deum ab omnibus malis sedatum, quorum & mentes conspicit, & cogitationes cognoscit, pariter & reprehendit? Ut est illud: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Necnon & illud apud Lucam: *Phariseus autem caput intrase reputans dicere: quare non baptizatus es et ante prandium?* Et ait Dominus ad illum: *Nunc vos Pharisei, quod de foris est calicis, & catini mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.* Stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam & quod intus est, fecit? Auctor & scrutator cordium non munditia membrorum deleqtatur: sed mentium; qui utique nil longe à se possum creat, nec per momenta & loca accedens quidpiam scrutatur. Quod etiam filius tonitruis dignoscitur commendare: *Ipse, dicens, Jesus non credebat sicutipsum eis: eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, qui testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.* Neque enim suspicando putandus est omnia scire: sed potius praesens ubique malivolorum mentes, utpote creator, ita cognoscere, ut à nullo possit, vel vitari, vel falli. Nam & Matthæus Dominum inducens Pharisæorum hypocrisim discipulis prohibentem, sic dicit: *Cavete à fermento Pharisæorum, & Saduceorum.* At illi cogitabant inter se dicentes, quia panes non accepimus. Sciens autem Jesus, dixit: *Quid cogitatis inter vos modica fidei, quia panes non habetis?* Nondum intelligitis, neque recordamini, quinque panum in quinque millia hominum; & quot cofinos sumpsistis? Neque septem panum, & quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis, *Cavete à fermento Pharisæorum, & Saduceorum?* Tunc intellexerunt, quia non dixerit, *Cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Saduceorum.* Quam doctrinam paulò apertius Lucas explanans ait. Primò attendite à fermento Pharisæorum, quæ est hypocrisis. Hypocrita quippè duplii constringitur crimen, dum

Matth. 9.

4. 11.

Luc. 11.

38.

Joan. 24.

Matth. 16. 6.

Luc. 11. 1.

dum non corrigere , sed mavult scelus admissum cælare . Bonum verò , quod non habet , de se cupit jactare : aut si accepit , forte cenodoxia (1) corruptus , in suæ animæ perniciem vertere . Sicut Beatissimum Gregorium in libris Moralium legimus exposuisse , ubi inquit : Scirpi ergo , Job 8. vel carecti nomine hypocrita vitam signat , quæ speciem quandam viriditatis habet : sed ad humanos usus fructum utilitatis non habet : quæ sterilitate operis arida permanet , solo sanctitatis colore virescit : sed neque sine humore scirpus , neque sine aqua carectum proficit . Quia hypocitarum vita ad bona opera infusionem quidem superni muneric percipit : sed in cunctis quæ agit , exteriores laudes appetens à fructu perceptæ infusionis inanescit . Sæpè namque mira signorum opera faciunt . Ab obsecsis corporibus spiritus expellunt : & per prophetiæ donum ventura quæque sciendo præveniunt : sed tamen à largitore tot muneric cogitationis intentione divisi sunt : quia per ejus dona non ejus gloriam ; sed proprios favores querunt . Cumque per accepta bona in sua laude se elevant , ipsis munericbus contra largitorem pugnant . Inde quippè contra dantem superbiant , unde etiam amplius humiles esse debuerunt . Sed eo eos postmodum districtior sententia perculit , quo nunc superna bonitas , & ingratos largius infundit : fitque eis amplitudo muneric incrementum damnationis : quia irrigati fructum non ferunt , sed sub viriditatis colore vacui in altum crescunt . Quos bene per Evangelium Veritas exprimit dicens : Mattib. 7. *Muli-*

*ti dicent mihi in illa die : Domine , Domine , nonne in nomine tuo prophetavimus ? Et in nomine tuo Dæmonia ejecimus ? Et in nomine tuo virtutes multas fecimus ? Et tunc confitebor illis ; quia numquam novi vos . Discedite à me qui operamini iniquitatem .* Scirpus igitur vel carectus sine aqua non vivit : quia nimis hypocrita non nisi ex superno munere viriditatem bonæ operationis accipiunt .

Job 8. *Et iterum . Benè igitur dicitur : Sicut tela aranearum fiducia ejus . Quia apparente cordis teste , præterit omne ,* quod

(1) i. e. vanagloria .

quod exterius de humano favore confidit. Et post aliqua  
de eisdem idem ipse dicit: *Super acerbum petrarum radi-  
ces ejus.* Sed iste hypocrita scirpi appellatione signatur,  
cum corpus abstinentia edomat: cum largiendo quæ pos-  
sideret, studio pietatis exsudat: cum notitia sacræ legis  
eruditur: cum verbo prædicationis utitur. Quis hunc  
tanta plenum largitate conspiciens à gratia aestimet lar-  
gitoris alienum? Et tamen superna dispensatio largitur  
huic dona operis, & sortem denegat hereditatis. Ope-  
randi munera cumulat, & tamen vitam operantis igno-  
rat. Identidem etiam: Sed Sanctus vir conspiciat, quia  
& qui summa jam dona percipit, si de acceptis extolli-  
tur, cuncta quæ acceperat, amittit. Hinc quoque Vas  
electionis omnibus donis Charitatem præfert, sine qua  
etiam omnes virtutes nil proficere suadens, dicit: *Annu-  
lamini autem charismata meliora: O adhuc excellentiorem  
viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar, O An-  
gelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut  
aramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero  
prophetiam, & novero mysteria omnia, O omnem sci-  
entiam; O si habuero omnem fidem ita ut montes transferam,  
charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero  
in cibos pauperum omnes facultates meas: O si tradidero  
tepus meum, ut ardeam, charitatem autem non habeam,  
nihil mibi prodest.* Has enim omnes virtutes, dona idem  
docuit Sancti Spiritus esse: & ab ipso omnipotenti Do-  
mino, qui unus est, dispensari, dicens: *Hæc omnia ope-  
ratur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout  
vult.* Sed quia hæc dona etiam illi habere possunt, qui  
Deum ex tota mente non diligunt, & proximos non ut se  
ipsos querunt; idcirco illam his præponit, sine qua ne-  
mo Deum videbit. Nam juxta Beatum Gregorium, tan-  
to unusquisque à conditore suo districtius in judicio non  
agnoscitur, quanto nunc ad reparationis gratiam, nec  
per dona revocatur.  
*41* Sed si forte calumniatores hos omnes ex Ecclesiæ  
membris dixerint esse, & baptismi unda perfusos fuisse,  
ac per hoc Spiritus Sancti dona, licet sint sine charitatis  
per-

1.Cor.12.  
31.

Vers. 11.

81.3.9.1  
.01

perfectione, habere; hoc illos volo audire, quod Vas  
 Rom. 13. electionis Romanis ostenditur dixisse: *Non est enim*, ait,  
 i. *potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinata sunt.*  
*Quis, quo, tunc Romanis imperabat, & Rempublicam*  
*regebat, cum Apostolus ista scribebat? Nonne Pagano-*  
*rum manus lœva, quæ Apostolos & Martyres per totum*  
*orbem est persecuta? Sed sequitur, & dicit: Vis autem*  
*non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex*  
*illo. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem male*  
*feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei*  
*enim minister est, vindex in ira ei, qui male agit. Ideoque*  
*necessitati subditi state, non solum propter iram, sed propter*  
*conscientiam. Ideò enim & tributa præstatis: Ministri*  
*enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Sed & quod per*  
 Sap. 6. Salomonem dicitur, auscultent. *Audite ergo Reges, in-*  
*telligite. Discite judices finium terræ: præbete aures vos,*  
*qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum.*  
*Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo,*  
*qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.* Quoniam cum effectis ministri regni illius,  
*non recte judicastis, neque custodistis legem justitiae,*  
*neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Ministri Dei*  
*dicuntur impij, qui non ambulant secundum voluntatem*  
*Dei: sed licet illi ad suum velle abutantur subjectis, per*  
*eorum tamen voluntatem malam iudicia sua exercet bonus & justus Deus, cuius sunt cuncta iudicia recta: Nam*  
*& de Nabucodonosor dicitur, quod malleus ferreus fuerit in manu Domini ad conterendas omnes gentes. Hinc*  
 1. Reg. 18. etiam in libris Regum habetur: *Irruebat in Saul spiritus*  
 10. *Domini malus. Quod tractans in libro Antichimenon Vit*  
*egregius Julianus, dicit: A quibusdam queritur: si Domini, cur malus? Si malus, cur Domini Spiritus dicatur?*  
*Ecce unus idemque Spiritus & Domini appellatur & malus. Domini videlicet, per licentiam potestatis justæ: malus autem per desiderium voluntatis injustæ. Omnis enim*  
*voluntas Diaboli injusta est, & tamen permittente Deo, omnis potestas justa. Ex se enim tentare quoslibet injustè appetit: sed eos qui tentandi sunt, non nisi tentari*

Deus

Deus justè permittit. In his ergo duobus verbis, quibus & Domini spiritus dicitur, & tamen malus, comprehensa est & potestas justa in Diabolo, & voluntas injusta. Nam & ipse dicitur Spiritus malus, per nequissimam voluntatem, & idem Spiritus Domini per acceptam justissimam potestatem. De quo Spiritu etiam per Michæam dicitur: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum Cœli assidentem ei à dextris, & sinistris.* Et ait Dominus: quis decipiet Achab Regem Srael, ut ascendet in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, & alius aliter. Egressus autem spiritus, stetit coram Domino, & ait: *Ego decipiam illum.* Et loquutus est Dominus: *In quo?* Et ille ait: *Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Et dixit Dominus: *Decipies & prævalebis. Egredere, & fac ita.*

<sup>3. Reg. 22  
19.</sup>

Nos verò si loquutiones Spirituum, ut à Beato sunt Gregorio expositæ, recordamur; profecto nec per tubam vocis Deum Diabolo loquutum, nec per organum gurguris Diabolum Deo respondisse putare debemus. Sed dicere Dei est, *quis decipiet Achab Regem Srael*, justam perditionem impij electis Angelis vi intima revelare. Dicere autem unus Angelorum verba hujuscemodi, & alius aliter, est unusquisque tanto in motum admirationis magis consurgere, quantum datur ei pro meriti dignitate plus divina judicia contemplari. Dicere autem Diaboli est, *Ego decipiam illum*, intra cogitationum suarum latibula perditionem illius ardenti nisu anhelare quem jam noverat sibi complicem in crimen esse; sed adhuc verebatur per paenitentiæ lamenta amittere. Dicere autem Dei est, *In quo?* vi quadam intima mentis ejus agnoscere, & pravas ejus cogitationes considerare. Dicere Diaboli est: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore Prophetarum ejus*, sua opera & mendacia Deo cœlare non posse, & incursum sua malitia à Deo relaxari expetere. Dicere autem Dei est, *decipies, & prævalebis*, in proprio eum appetitu dimittere, ut ex ejus pravo desiderio suam ipse justam sententiam non cunctaretur implere. De quo etiam maligno Spiritu Sanctus Gregorius sic dicit:

cit: Diaboli tentatoris licentia pactum Dei vocatur. In qua & desiderium tentatoris nostri agitur ; & tamen per eum miro modo voluntas justi dispensatoris impletur. Eruendos electos suos Dominus saepe tentatori subjicit , sicut post Paradisi claustra , post tertij Cæli secreta , ne revelationum magnitudine Paulus extolli potuisset , ei Satanæ Angelus datus est. Sed in hac ipsa temptatione disponitur , ut qui elati perire poterant , humiliati à perditione serventur : secreto dispensationis ordine , unde salvare permittitur iniquitas Diaboli , inde piè perficitur benignitas Dei. Hinc Paulus ait : *Propter quod ter Dominum rogavi , ut discederet à me , & dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* De hoc etiam maligno spiritu Beatus Julianus in Antichimænon dicit : Satan , qui mundo corde esse non potest , quomodo videndo , Domino adfuisse potest? Sed intuendum , quia adfuit coram Domino: non autem Dominum vidisse prohibetur. Venit quippe Satan , ut videretur à Domino , non ut videret Dominum. Ipse in conspectu Domini , non autem in conspectu ejus Dominus fuit. Sicut cæcus , cum in Sole consistit , ipse quidem radiis Solis perfunditur ; sed tamen lumen non videt , quo inlustratur. Ita ergo etiam inter Angelos Satan adfuit , quia vis divina quæ intuendo penetrat omnia , non se videntem spiritum immundum vidit.

6. Sed quia de immundis Spiritibus loquens longe à proposita quæstione mea vagavit oratio ; ad ea , quæ coeparam recurrens , de hominibus gentilitati deditis prosequar , quæ invenero. Ait denique idem Beatus Julianus . Quæri rationabiliter potest , quomodo in hoc loco dicitur quod regnare hypocritam facit? Cum hac de re per Prophetam specialiter queratur dicens : *Ipsi regnaverunt , sed non ex me. Principes extiterunt , & non cognovi.* Quis enim recte sentiens dicat , quia facit Dominus quod minime cognoscit? Sed quia scire Dei approbare est ; nescire reprobare ; miro modo hypocritas Dominus & regnare facit , & nescit. Facit finendo ; nescit reprobando. Identidem ex verbis Beati Gregorij mutuatur ,

*2. Cor. 12  
v. 8.*

*Officiale 8.*

di-

dicens: Nil ergo in terra fieri sine causa, id est sine causa divinæ distributionis, vel permissionis. Et iterum: Cum omnis qui proximum decipere conatur, iniquus sit; & iniquis Veritas dicat: *Numquid novi vos. Discidite à me* Math. 7:16 *omnes, qui operamini iniquitatem:* qualiter hoc in loco <sup>22.</sup> dicitur, quia Dominus decipientem novit? Sed quia sci-  
re Dei aliquando cognoscere dicitur, aliquando appro-  
bare; & scit iniquum, quia cognoscendo judicat; &  
